

A **l**uros, prædicitur ipsa capita populorum, principes ac reges, magnates ac potentes, agnituros Christum, iuncturosque se Deo Abrahamæ, fidem Abrahamæ complexi, ac semen illius facti. Vide Matth. 8. Quid est quod principum meminit? An propterea, quod potior est apud Deum princeps, quam vulgaris aliquis? Non ideo, sed quia principibus colla Deo submittentibus, manifestum est obtinere veritatem publicè & plenè. Et hoc futurum prædicitur. Cùm ergo Spiritus quoque sanctus huius rationem habeat, & futurum prædicat: quare non & nobis illud magni sit momenti? Hinc est quod Apostolus 1. Timoth. 2. iubet orare pro principibus.

OBS. 1.

**Scuta terra.** מַגְדָּוֹרָא ] Principes vocat scuta terra, nõ ideo quod sint, sed quod protectores populorum esse debeant, qui omnia pericula à populis sibi subiectis auertat. Sed quid hodie sint, deplorandum magis est, quàm exagitantum. Tales habemus principes, quales peccata nostra merentur.

OBS. 2.

PSALMVS XLVIII.

CANTICVM PSALMI FILIIS KORE.

ARGVMENTVM PSALMI.

**A**dmiranda nobis hoc Psalmo, & celebranda proponitur Dei in Ecclesiam suam bonitas, beneficentia, fides ac protectio: deinde & ipsa Ecclesia sub typo terrene Ierusalem celebratur.

Dispositio Psalmi.

Habet autem hic Psalmus duas partes. Primam, à qua oritur, ut potiore, in qua Deus celebratur & extollitur. Ea habet versus quing., videlicet 1. 8. 9. 10. 11. Alteram, in qua ciuitas Dei Ierusalem terrena illa in typo, cælestis verò quæ sursum est, & mater nostra, Galat. 4. in veritate celebratur, vñ מאנא אִשְׂרָאֵל. Ista habet versus nouem 2. 3. 4. 5. 6. 7. 12. 13. 14.

**M**AGNVS Dominus & laudatus valde, in ciuitate Dei nostri, monte sancto eius. VERS. I.

2. **A**mæna regio exhilarans totam terram, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.

3. **D**eus in palatys eius notus est, ad protegendum.

4. **Q**uoniam ecce reges congregati fuerunt: transierunt simul.

5. **I**psi viderunt, sic obstupuerunt: consternati fuerunt, ac præcipites dati.

6. **T**remor apprehenderit illos ibi, dolor veluti parturientis.

7. **C**um vento Noto contriuisisti naues Tharsis.

**B** 8. **S**icuti audiuiimus, sic vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei nostri: Deus disponit eam usque ad seculum. Selah.

9. **E**xpectauimus Deus benignitatem tuam, in medio templi tui.

10. **S**eculum nomen tuum Deus, sic est laus tua ad fines usque terre, iustitia plura est dextra tua.

11. **L**atatur mons Zion: exultant filie Iudæ propter iudicia tua.

12. **C**ircundate Zion, & circuite eam: numerate turre eius.

13. **P**onite cor vestrum ad mirum eius, exaltate turre eius, ut enarretis atati postera.

14. **Q**uoniam hic Deus, Deus noster in seculum & usque: ipse ducet nos ad mortem usque.

**Amæna regio.** ] Ebr. מְנַחֵם. Vulg. Lat. Fundatur. Græc. εὐεῖσω. Hieron. Speciosa germine. Iustin. Pulcherrima frutice. Felix: Formosa nymphe. Pagn. Pulcher termino. Felinus: Locus elegans. Tigur. Elegans regio. Sic & Camp. Chald. Pulcher ut sponsus. LECTIO, Vers. 2.

**Ad protegendum.** ] Ebr. לְמִשְׁגָּב. Vulg. Lat. Cùm suscipiet eam. Hieron. In auxiliando. Iustin. Dum auxiliatur. Felix: In protectionem. Pagn. Ad eleuationem. Felinus: Esse suis pro arce. Vers. 3.

**Transierunt simul.** ] Ebr. עָבְרוּ. Græc. & vulg. Lat. Conuenerunt. Hieron. Venerunt simul. Vers. 3. 4.

**Consternati fuerunt, ac præcipites dati.** ] Ebr. גְּבַחְלֵי נַחְפוּרֵי. Græc. & vulg. Lat. Cõturbati sunt, commoti sunt. Hieron. Cõturbati sunt, admirati sunt. Vers. 5.

**Cum vento Noto.** ] Ebr. בְּרוּחַ קָדִים. Græc. & vulg. Lat. In spiritu vehementi. Hieron. In vento vredinis. Iustin. In vento Orientali. Vers. 7.

**Deus disponit eam.** ] Ebr. יִבְנֶנָּהּ. Græc. & vulg. Lat. Fundauit eam. Sic & Hieron. & Pagn. Iustin. Deus componet eam. Vers. 8.

**Expectauimus.** ] Ebr. רָמִינוּ. Græc. & vulg. Lat. Suscepimus. Hieron. & Iustin. Aestimauimus. Pagn. Cogitauimus. Felinus: Animo concipiebamus. Sic & Tigurina. Vers. 9.

**Propter iudicia tua.** ] Græc. vulg. & Arabs addunt, Domine: quod in Ebræo non est. Vers. 11.

**Numerate turre eius.** ] Ebr. סַפְּרוּ מִגְדָּלוֹתָיָהּ. Græc. & vulg. Lat. Narrate in turribus eius. Sic & Arabs. Vers. 12.

**Ad murum eius.** ] Ebr. לְחֵילָהּ. Græc. & vulg. Lat. In virtute eius. Chald. Ponite cor vestrum in exercitiis eius. Vers. 13.

**Exaltare turre eius.** ] Ebr. מִסְּפַר אֲרָמְנֵיהֶּן. Græc. & vulg. Lat. Distribuite domus eius. Hieron. Sperate palatia eius. Pagn. Roborate palatia eius. Vers. 14.

**Ad mortem usque.** ] Ebr. עַד מוֹתָהּ. Græc. & vulg. Lat. In secula. Hieron. In morte. Iustin. In iuuentute. Eelix: Per iuuentutem. Vers. 14.